



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

4. Secunda principalis ratio pomitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

non indigeo, ut absolute sim:) ergo existentia hominis, & essentia hominis actualis sunt omnino idem, & minime distinguuntur à parte rei.

- 53 Quod tandem sic vergetur; nam essentia actualis propter præcisam, & distinctam ab illa existentiam, quam tu fingis, habet iam effectum formalem existendi: ergo non habet illum, neque existit ab illa existentia ficta à te sed à seipsa existit; consequentia patet ex terminis; antecedens probatur: essentia actualis est causa materialis verè recipiens ipsam existentiam, non minus quam materia prima est causa materialis formæ substantialis verè recipiens talem formam, & non minus, quam subiectum recipit albedinem, tum quia compositioni essentiae, & existentiae est per modum actus, & potentiae, & omnis actus componens, aut saltem vnio illius causatur in genere causae materialis à sua potentia, tum etiam quia existentia, siue sit res, siue modus, est tamen perfectio intrinseca essentiae, à qua educitur, & sic dependenter: ergo essentia præsupponitur ut existens ad illam formalitatem: patet consequentia, quia nihil potest realiter causare intrinsece recipiendo in genere causae materialis, quin existat; sed essentia causat existentiam recipiendo ipsam: ergo pro illo priori naturæ est existens, vide ea omnia, quæ in physicis de existentia materiæ diximus, probantes aduersus Thomistas, illam non esse à forma sed à materia ipsa; ex quibus euidenter sequitur, essentiam actualem à se esse ens actuale & existens, & non per aliquid distinctum à se ipsa, alias si essentia ante existentiam non esset actu ens, esset ens possibile tantum; sed ens possibile non potest actu causare recipiendo, ut latissime demonstrauimus in physicis loco citato, unde materia possibilis & quæ actu non est in rerum natura, non potest actu recipere formam, nec componere cum illa actu compositum actualem: ergo si essentia vere recipit existentiam actu, & vere causat ipsam actu, quia existentia educitur actu ab essentia, essentia pro illo priori naturæ, pro quo causat existentiam, & pro quo nondum intelligitur existentia in actu, cum pro posteriori naturæ intelligatur illa, erit existens, & ens actu absolute: ergo esse existens non accipit ab ipsa existentia, si existentia distinguitur ab essentia.

- Dices, hanc rationem labefactari in albedine distincta ab homine, nam homo v. g. ut condistinctus ab albedine, vel est albus, vel non; si est albus: ergo non eger albedine distincta à se; si non est albus: ergo iam non sunt duæ res, &c. ecce argumentum rectorum contra nos.

- 55 Sed contra manifeste, quia homo ut recipiat albedinem habet sufficientem capacitatem quia supponitur ante albedinem in esse entis realis actualis, & habens esse actuale, & existere actu, in quibus formalitatibus nullo modo constituitur homo ab ipsa albedine, sed supponitur iam constitutus, etiam si non supponatur albus: ergo potest recipere albedinem, vniri cum illa, & ab ea reddi albus, sed homo, ut condistinctus ab existentia, & ut supponitur illi per vos non est ens actu, nec habet esse actu, ac proinde necessario debet esse ens possibile tantum ut est modo Antichristus, & Adam, & fuerunt ab æterno res non existentes: ergo nequit illi realiter vniri existentia, aut formaliter illi communicari, & consequenter nec per vniionem sui cum homine illam reddere ens actu, aut existens, seu habens esse actu, ex eo quod ante existentiam nullam habet capacitatem actualem ad recipiendum, quia non entis nullæ sunt qualitates: ergo nihil potest fieri ens intrinsece, & formaliter, aut constitui formaliter existens per aliquid à se distinctum: ergo exi-

stentia dans esse intrinsece, & formaliter, non potest realiter distinguì à re existente.

SYBSECTIO. IV.

Secunda principalis ratio ponitur.

Quia essentia actualis distinguitur ab essentia possibili, vel à possibilitate essentiae per suum ipsum esse positium & non distinctum à se; sed illud esse, per quod essentia actualis distinguitur ab essentia possibili, seu à possibilitate essentiae est actualis existentia: ergo actualis existentia est ipsum esse essentiae actualis sine aliqua distinctione ab ipsa. Maior satis supra probata manet, cum tractatum de possibilitate, constet possibilitatem, seu essentiam possibilem ut talem esse negationem; atqui ut ibidem probauimus, positium à negatione non potest distinguì per aliud esse à se distinctum, quia si distingueretur positium à negatione per aliud esse, distinctum à se ipso, aut illud, per quod distingueretur, esset quid negatiuum, aut positium, non negatiuum, quia alias daretur processus in infinitum, quia etiam ab illa negatione per quam distinguitur formaliter, & realiter à possibilitate, deberet distinguì ut quid positium; ergo per aliam negationem, & ab illa etiam per aliam, ac proinde in infinitum; ne igitur concedamus hoc absurdum, faciendum est certissime, & sine dubio positium non distinguì à negatiuo per aliam negationem.

Alias præter absurdum dictum sequeretur euidens contradictio in adiecto, videlicet quod illa negatio, per quam positium distinguitur ab alia negatione, non sit negatio, sed positium, quia illa negatio esset negatio alterius negationis, & non positui: ergo illa negatio non esset negatio, sed positium, quia negatio negationis affirmatio, & positium est; unde nec non homo, non est negatio hominis, sed positius homo, quia est negatio negationis hominis: ergo velint, nolint aduersarij, fateri coguntur positium à negatiuo non distinguì per negatiuum aliud à se, sed per seipsum.

Non positium, quia omne positium aut est relatio, aut quid absolutum; sed tale positium per quod vnus positium distinguitur à negatione, non esset relatio, neque absolutum distinctum à parte rei à primo positio, quod distinguitur à negatione: ergo illud non esset positium; de relatio sic probò; quia non esset relatio transcendentalis, nec prædicamentalis, primum patet iam ex supra latissime dictis in præfationibus huius metaphysicæ, vbi probauimus, nihil positium posse dicere relationem transcendentalem ad negatiuum, ex eo quod res superioris ordinis nec specificietur à re inferioris ordinis, nec essentialiter ordinetur ad illam.

Deinde euidentius patet; quia si positium distingueretur à negatione per relationem transcendentalem, & essentialem ipsi positio, tale positium non distingueretur ab illa negatione per esse distinctum à se, sed potius per suum ipsum esse essentialiter immediatè, quia relatio transcendentalis nullo modo distinguitur à parte rei à re, cuius est relatio, cum talis relatio sit adæquate de essentia rei cuius est relatio, imò sit tota essentia rei, ut videre est in relatione transcendentali potentiae, habitus, & actus ad obiectum; materiæ ad formam, & formæ ad materiam: ergo si positium distinguitur à negatiuo per relationem transcendentalem, ab illa distingueretur positium per suum ipsum esse immediatè, & non per aliud positium à se distinctum.

Quod autem non distinguatur positium actualis 60 essentiae à possibilitate seu essentia possibili per relationem

Quæst. II. Vtrum essentia disting. &c. 13

tionem prædicamentalem patet primo. Quia relatio prædicamentalis petit terminum actu existentem, & positivum; atqui possibilitas, quæ est negatio, neque actu existit nec positivè existit: ergo non potest terminare relationem prædicamentalem distinctionis essentia actualis ab ipsa. Secundo, quia si positivum posset dicere relationem prædicamentalem ad possibilitatem, ut per illam relationem distingueretur ab eadem actu infinitum actu in vnoquoque positivo relationum completarum, scilicet diversitatis, & distinctionis, &c. quia in subiecto completo multiplicatur tot relationes completæ in omnium sententia, quot fuerint termini cõpleti specie distincti; atqui infinitæ dantur actu possibilitates specie distinctæ, ut sunt possibilitates mixtorum, & elementorum omnium, & Angelorum possibilitum, &c. quæ sunt termini infiniti, quæ fundantur in positivo: ergo in positivo actu multiplicatur infinitæ relationes prædicamentales, si concedatur dari relationem prædicamentalem ad possibilitatem, quod est in vestra sententia omnino absurdum, siquidem infinitum in actu non solum naturaliter, & de facto, sed nec de possibili divinitus, & per potentiam absolutam vultis concedere; igitur non est concedendum, dari relationem illam prædicamentalem, per quam distinguatur essentia actualis ab essentia possibili.

⁶¹ Item essentia actualis non potest distingui à possibilitate per aliquid positivum absolutum distinctum ab ipsa essentia actuali positiva, quia aut illud secundum positivum, per quod distinguitur essentia actualis à possibilitate distinguitur per aliud positivum distinctum à secundo positivo, vel non distinguitur, nisi per se ipsum; si distinguitur per aliud, de illo alio eadem redibit interrogatio, & sic procedetur in infinitum; si non distinguitur per aliud positivum, sed solum per seipsum, & hoc quia positivum est, & possibilitas negatio, etiam ipsa essentia distinguitur per se ipsum quatenus actualis est à possibilitate, siquidem essentia actualis etiam est positiva, & possibilitas est negatio; nam ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; unde superfluum erit illud secundum positivum fictum ab adversariis, ut essentia actualis, quæ positiva est distinguatur à possibilitate seu ab essentia possibili.

⁶² Sed ut hoc argumentum sit evidens demonstratio, & ne opinionibus iunctur, supponamus possibilitatem esse quid positivum, in quo casu sic argumentor; vnaquæque entitas distincta ab alia siue essentialiter, siue realiter, aut individualiter distinguitur ab illa in actu primo per suam differentiam, aut essentialem, aut individualement metaphysicam, verbi gratia Petrus distinguitur à Paulo per suam Persecutionem, quæ est differentia individualis, & à Bucephalo distinguitur essentialiter per rationalitatem, quæ est differentia specifica metaphysica illius, & ratio à priori est quia differentia ideo est talis, quia facit differre vnum ab alio: sed facere differre est facere distingui vnum ab alio, ut ex terminis patet: ergo differentia siue sit individualis, siue essentialis, facit differre, & distingui vnam rem ab alia, sed differentia, siue sit essentialis, siue individualis, non distinguitur realiter à re, cuius est differentia in sententia Thomistarum contra Scotum, & ideo rationale non distinguitur ab homine: ergo vnaquæque res non distinguitur ab alia in actu primo entitative, & substantialiter per aliquid distinctum à seipsa, sed potius per suum ipsum esse positivum, sed essentia actualis positiva distinguitur à possibilitate, seu ab essentia in esse possibili for-

maliter in actu primo substantialiter & entitative: ergo non distinguitur ab illa, nec differt ab eadem entitative, & substantialiter per aliquid distinctum à sua entitate actuali, sed potius per se ipsam immediate, & formaliter, & per suum ipsum esse formalissime sine aliquo medio inter essentiam actualem, & possibilitatem, seu essentiam possibilem ut possibilem formalissime.

Quod autem essentia actualis distinguatur realiter à parte rei à possibilitate seu essentia possibili patet manifestè; imò & supponitur ad Adversariis ut certum, quia possibilitas rerum, seu essentia ut possibilis formaliter fuit ab æterno, ac proinde est eo æterna Deo, & essentia actualis, quatenus actualis positiva non est ab æterno, sed in tempore: ergo ab æterno est possibilitas sine actuali essentia: ergo distinguuntur realiter, quia idem non potest esse sine se ipso à parte rei, alias idem separaretur à se ipso, ac per consequens distingueretur à se ipso, quia quæ separantur realiter, distinguuntur realiter, & sic idem esset & non esset ipsum simul, quod est omnino impossibile, ut patet ex illo principio, impossibile est idem simul esse, & non esse; Item quia ab æterno nulla essentia operata fuit actus liberos, vel virtuosos, aut peccaminosos, alias antequam homo produceretur à Deo, peccavisset, vel meruisset ab æterno, quod est delirium Pythagoreorum, asserentium animas propter peccata ante corpora facta detrudi in corpora, &c. sed nulla alia ratio huius potest dari, nisi quia essentia ab æterno non fuit actualis, sed solum possibilis, præcipuè in sententia Thomistarum asserentium ad operandum non requiri necessario existentiam, quapropter si essentia actualis esset ab æterno, operaretur ab æterno etiam non existisset ab æterno, atqui essentia ab æterno nec fuit operata, nec potuit operari per vos actu: ergo signum evidens est, essentiam actualem ab æterno non fuisse, sed solum possibilem, & ideo non fuisse operatam ab æterno actu; sicut essentia Antichristi non potest operari actu; quia nunc essentia Antichristi non est actualis, sed futura, & possibilis solum: ergo essentia actualis, quæ non fuit ab æterno, & possibilitas eius, quæ actu fuit ab æterno, ab æterno sunt separatæ realiter: ergo distinguuntur realiter; sed per idem ipsum distinguitur in actu primo entitative, & substantialiter res, per quod substantialiter, & entitative constituitur ultimo, tanquam per differentiam; sed res non constituitur in suo esse per aliquid distinctum à suo esse à parte rei, sed per suum ipsum esse: ergo res non distinguitur ab alia per aliud esse distinctum à proprio esse, sed potius per suum ipsum proprium esse.

Sed essentia actualis positiva distinguitur à parte rei à possibilitate, seu ab essentia ut possibili formaliter entitative, & substantialiter: ergo non distinguitur ab illa per aliquid esse distinctum à proprio esse essentia actualis, sed potius per suum ipsum esse & per se ipsam immediate.

Minor prima & præcipua primi, & principalis syllogismi sic demonstratur. Quia per illud distinguitur essentia actualis à possibilitate, seu ab essentia possibili ut possibili, per quod talis essentia actualis non est ipsa possibilitas, &c. seu est alia à possibilitate; atqui essentia actualis non est ipsa possibilitas, sed potius est alia à possibilitate per existentiam formaliter: ergo per existentiam formaliter distinguitur essentia actualis ab esse possibili, seu ab ipsa possibilitate essentia. Maior est certa, & ex terminis patet; quia idem est vnum distingui ab alio quam vnum esse aliud ab illo; unde quia Petrus distinguitur à Paulo, est alius à Paulo.

66 Minor sic probatur, per illud essentia actualis non est pure possibilis, seu non est ipsa possibilitas, per quod constituitur in esse actuale positivo; sed per existentiam constituitur formaliter in esse actuale positivo: ergo per existentiam distinguitur à possibilitate. Maior est certa, quia per illud constituitur aliquid in non esse alterius, & in esse distincto ab altero, per quod constituitur in esse opposito illi eo modo, quo oppositum est, sed per actualitatem essentiae constituitur in esse opposito aliquomodo respectu possibilitatis: ergo per actualitatem constituitur essentia actualis in esse non possibilis, seu ut clarius loquar per illud essentia actualis non est pure possibilis, seu possibilitas, per quod constituitur in esse actuale positivo. Minor, in qua est difficultas, sic demonstratur, quia existentia actualis positiva est ipsa actualitas positiva essentiae; sed per actualitatem positivam formalissime constituitur essentia actualis inesse actuale positivo; sicut per albedinem constituitur homo albus, & per rationalitatem constituitur homo rationalis, quia eo modo est effectus formalis, ac est causa formalis: ergo per existentiam positivam constituitur essentia actualis in esse actuale positivo, sed esse actuale positivum est esse oppositum aliquomodo possibilitati, seu enti in potentia: ergo per existentiam constituitur in esse opposito enti in potentia, &c. Maior est certissima apud ipsos Aduersarios, quia apud ipsos, & apud omnes existentia est actus essentiae, ac proinde actuatur ipsam, & à potentialitate logica ad actualitatem reducit, ac per consequens à Thomistis actus entitativus vocatur, & ideo sicut negant materiam primam habere existentiam à se, ita negant materiam primam habere actum entitativum à se, quia actus, & existentia convertuntur in eorum sententia, & secundum D. Thomam hoc est clarum, qui 1. part. quæst. 3. art. 4. in corpore, convertit esse, & actum essendi illis verbis: Non enim bonitas, vel humanitas significatur in actu nisi propter significamus eam esse & eadem 1. part. quæst. 4. art. 1. ad 3. sic ait: Ipsum esse, esse perfectissimum omnium, comparatur enim ad omnia ut actus, nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est: unde ipsum esse est actualitas omnium rerum; sed actualitas rerum in essendo seu esse est existentia secundum eundem D. Thomam eadem 1. part. quæst. 5. ubi asserit tunc aliquid propriè esse in actu quando actu existit: ergo existentia secundum D. Thomam est actus, seu actualitas essendi, per quam essentia constituitur in esse actualis, & inesse habentis esse actuale quod etiam amplius patet ex tota 1. questione huius disputationis, in qua agendo de definitione existentiae docuimus apertissimè, existentiam esse actum formalissimum, seu formalissimam actualitatem, per quam essentia constituitur inesse actuale, quod adeo verum est, ut nullus hoc negotium possit in dubium revocare.

67 Dices, dari duplicem actualitatem, aliam quæ est actualitas essentiae, per quam constituitur essentia inesse primario positivo actuale, & hæc non distinguitur ab essentia, estque distinctivum primum essentiae, per quod distinguitur essentia à possibilitate, & de hoc rectè procedere inquirunt adversarij argumentum; sed hæc non est existentia, sed quid distinctum ab ipsa, sicut essentia, cum qua identificatur. Alia est actualitas existentiae, & hæc sicut non primario constituit essentiam in suo esse actuale, sic non primario distinguit essentiam à possibilitate, & de hac dicitur distingui ab ipsa essentia à parte rei; unde in essentia, & datur existentia distincta ab essentia, & datur actualitas

essentiae indistincta ab essentia per quam distinguitur essentia in actu primo entitativo, & substantialiter ab essentia possibili seu à possibilitate.

Sed contra manifeste 1. Quia actualitas essentiae est ipsa existentia, five ipsa actualitas existentiae: ergo non sunt duæ actualitates, sed una indivisibilis actualitas; sed illa actualitas essentiae per vos omnino identificatur cum essentia actuale, & per ipsam distinguitur ab essentia possibili: ergo existentia seu actualitas existentiae est idem omnino cum essentia actuale, ac proinde est omnino indistincta ab illa. Antecedens sic demonstratur. Quia existentia seu actualitas illa secunda est actualitas constituens essentiam rei extra causas in esse positivæ entitatis ratione actionis positivæ ortæ ab agente producente essentiam actualem, & ponente ipsam extra potentiam suæ causæ; sed per illam actualitatem primam, quam vocatis essentiae, similiter extrahitur essentia extra causas, &c. Ergo actualitas illa existentiae est ipsa actualitas essentiae sine vlla distinctione inter ipsas. Maior, & minor sic demonstrantur; quia terminus actionis Dei producentis rem de novo, & ad quem talis actio productiva terminatur, est formalitas constituens rem extra causas: sed tam actualitas essentiae, quam existentia ipsa, seu actualitas existentiae sunt terminus, ad quem tendit actio Dei productiva creaturæ: ergo tam actualitas essentiae, quam actualitas existentiae sunt terminus ad quem tendit formaliter actio Dei productiva creaturæ: ergo tam actualitas essentiae, quam actualitas existentiae constituunt essentiam formaliter extra causas. Maior sic probatur, quia omnipotentia Dei; seu Deus omnipotens est agens extrahens essentiam possibilem ab statu possibilitatis ad statum actualitatis extra causas, vere dando illis esse actuale de novo, quod antea non habebat actu, sed tantum in potentia (quod tum fide catholica tantum est secundum illud, omnia per ipsum facta sunt, in principio creavit Deus calum, & terram; & secundum illud symboli, Patrem omnipotentem creatorem cali, & terra, tum ratione naturali evidente manifestum) ratio autem formalis extrahendi in genere causæ efficientis essentiam à potentia causarum extra illam est actio ipsa procedens ab omnipotentia Dei producenti, & extrahenti, &c. ergo ratio formalis formaliter extrahendi rem extra causas est terminus formalis illius actionis. Hæc consequentia patet, quia sicut est actio productiva termini, est etiam terminus formalis productus per talem actionem: v. g. albedo est ratio formaliter dealbandi in genere causæ formalis, quia est terminus productus per dealbandi, quæ est ratio formalis dealbandi in genere causæ efficientis, & amor est ratio formalis constitutiva amantis, quia producitur per amationem, seu actionem amantem in genere causæ efficientis, seu ut melius loquar, à posteriori evidenter colligitur huius, vel illius naturæ esse terminum, qui per huius, vel illius naturæ, & conditionis actionem produci; vni enim necessario debet per vniotionem produci, quare quia fieri illius, seu actio, per quam produci, vniotio est ipsa, quæ terminus talis actionis est, seu factum esse talis fieri sine dubio debet esse, seu factum esse talis fieri sine dubio debet esse, seu ratio formalis constitutiva vniotum in genere causæ formalis, sicut gratia est forma sanctificans, quia producitur per actionem sanctificantem.

Sed actio fluens de novo à Deo, emanansque ab ipso, est ratio formalis, quæ in genere causæ efficientis essentia rei extrahitur à potentialitate causarum ad esse actuale illius, nam res quæ solum erat possibili

lis ab æterno, & solum in potentia causarum continetur, imo de se nihil erat, sit de nouo aliquod, & actu habet esse, ut patet ex his verbis D. Thomæ 9. 3. de potentia, art. 5. ad 2. ibid. ex hoc ipso, quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creati dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est nisi forte in intellectu creatis, ubi non est creatura sed creatrix essentia: sic ille, quod aperte confirmat. 1. p. q. 5. art. 1. his verbis; nam cum ens dicat aliquid proprie esse in actu, actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam secundum hoc simpliciter dicitur aliquid ens, secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum, hæc autem discretio per actionem productis Dei est, ita D. Thomas, & ratio est manifesta, quia solus Deus est ens actu ex se necessarium, habens sine ulla potentialitate summam actualitatem in essendo, omnia autem præter Deum solum potentialitatem essendi, sui possibilitatem ex se habent, unde ad hoc ut acquirant, ut ita loquar, actualitatem essendi, seu actuale esse, necesse est, ut intercedat actio procedens ab actualissimo esse Dei, per quam Deus communicando creaturis esse actuale, faciat ut transeant à propria potentialitate, seu paupertate essendi ad opulentiam, diuitias, & thesaurum actualis esse, ex vi liberalitatis immensæ Creatoris, in quo sensu explicat Chrysostomus illud Ioannis, & sine illo factum est nihil, quia sine effectione Dei nihil est actu, aut aliquod esse actuale reale in se habet; unde recte dicunt Sancti Patres, quidquid à Deo factum non est, vel Deum increatum esse, vel nihil esse actu Iustinus in expositione fidei, Cyillus lib. 1. in Ioannem, cap. 6. August. lib. 1. de princ. cap. 6. dilucidius autem & elegantius lib. 12. de ciuit. Dei, cap. 5. ibi. Naturæ igitur omnes quoniam sunt, & ideo habent modum suum, speciem suam, & quandam secum pacem suam, profecto bonæ sunt, & cum ibi sunt, ubi esse per naturæ ordinem habent quantum acceperunt suum esse custodiunt, quo totum actu acceperunt: & quæ semper esse non acceperunt, quod antequam acciperent solum poterant accipere, quia nihil ex se possidebant: & paulo post: quæ cum ita sint, inquit, Deus, qui summè est, atque ob hoc ab illo facta est omnis essentia, quæ non summè est, quia neque illi æqualis esse deberet, quæ de nihilo facta esset actu, neque illo modo esse posset, si ab illo facta non esset, nec viliorum vitiis offensione vituperandus, & omnium naturarum consideratione laudandus est: Quibus omnibus manifestè demonstratur, Deum omnipotentem sua actione, & productione facere, ut essentia creaturæ transeat à pura potentialitate essendi ad actualitatem essendi, ita ut omnem actualitatem, quam habet essentia accipiat à Deo, quia de se nihil est actu, sed solum posse esse actu.

70 Ergo terminus productus immediatè per illam actionem debet esse ratio formaliter extrahens essentiam rei à potentialitate causarum ad esse actuale illius, ut patet ex illis verbis D. Augustini, quæ cum ita sint, Deus, qui summè est; atque ob hoc ab illo facta est omnis essentia quæ de nihilo facta est, neque illo modo esse actu posset, si ab illo facta non esset.

71 Minor illa præcipua sic probatur; quia ut ex nuper dictis patet, creatura quatenus creatura nihil habet à se positivum actuale sine effectione, & influxu à Deo; atqui actualitas essentia, & actualitas existentia sunt rationes positivæ actuales, ac proinde non sunt pura possibilitas, quæ negatio & nihil dicitur à Patribus: ergo tam actualitas essentia, quam actualitas existentia sunt à Deo per influxum, ac dependent ab ipso per actionem productivam, ac per

consequens verè sunt, & producuntur à Deo per talem actionem & productionem, quod nihil aliud est, quam esse terminum formalem, seu factum esse formale talis actionis.

72 Vergetur, ac declaratur: quia actualitas existentia & actualitas essentia terminant vnam, & indivisibilem actionem; ergo sunt vna, & indivisibilis actualitas: patet consequentia, quia vna, & indivisibilis actio terminatur ad vnum & indivisibilem terminum; sed actualitas essentia, & actualitas existentia sunt terminus vnius indivisibilis actionis: ergo sunt vnus indivisibilis terminus productus per talem indivisibilem actionem; sed vnus terminus productus per vnam actionem est vna entitas facta per illam: ergo actualitas essentia, & existentia sunt vna, & indivisibilis entitas non indivisibilitate inter partes proprias, quia multoties existentia est materialis; sed indivisibilitate identitatis vnius actualitatis cum alia. Major est certa; tum quia actio sumit individuationem à termino; unde si actio est vna & eadem entitas in esse actionis, etiam terminus debet esse vnus, alias terminus daret, quod non habet, scilicet unitatem individuationis actionis, quam non habet, quia est plures; tum etiam quia fieri habet mutuam proportionem cum facto esse, ac proinde pluralitas terminorum petit pluralitatem actionum: ergo à posteriori sequitur manifestè vnam, & individuum actionem habere pro termino vnam & eandem numero entitatem.

73 Vergetur; quia actiones terminantur ad singularia, vniuersale enim ut tale non producit, ideoque Aristoteles ait in Metaphysica, actiones & generationes versari circa singularia; sed singularia non sunt, nisi à parte rei existentia: ergo illa actualitas essentia, quæ terminat actionem, erit singularis, quatenus distinguitur ab ipsa actualitate existentia; quia ut sic terminat illam actionem, cum prout sic, sit creatura actu de novo dependens à Deo, ac proinde debet produci à Deo; sed productio tribuit existentiam: ergo illa productio tribuit actualitati essentia existentiam, ac per consequens talis actualitas erit existens; de qua interrogo nunc, an prout distinguitur ab existentia sit existens per distinctam existentiam à se ipsa, vel non: si per distinctam; iterum inquiri an essentia quatenus distinguitur ab hac secunda existentia terminet actionem à Deo, vel non terminet: si non terminat prout sic, non erit creatura, sed potius erit essentia à se independens omnino à Deo, quia omne quod dependet, dependet per actionem Dei, quam terminat dependens; sed illa actualitas essentia, ut distinguitur ab existentia nullam terminat actionem Dei productivam: ergo actualis essentia creatura est independens à Deo: ergo homo essentialiter est increatus & independens. Patet consequentia, quia homo essentialiter est talis, qualis est essentia actualis illius, & ideo homo essentialiter est substantia, & animal rationale, quia hæc prædicata conveniunt essentia illius; sed etiam essentia actuali hominis prout distinguitur ab existentia convenit esse independentem, & increatam, seu improducibilem à Deo: ergo homo essentialiter est independens, increatus, & impatiicipatus, & improducibilis, ac per consequens est à se negativè & non ab alio: ergo essentialiter homo est Deus; patet consequentia, quia Deus est ens improductum, independens, & impatiicipatum, & tandem essentialiter est à se; sed essentia hominis, aut homo secundum essentiam est ens impatiicipatum, & à se: ergo est Deus essentialiter, v. g. si aliquis diceret, equi essentiam esse animal rationale, sine dubio diceremus, equo convenire definitionem hominis essentialem; sed essentia hominis conveniunt prædicata essentialia Dei: ergo homo essentialiter est Deus;

Deus;

gibilia, & desiderabilia. Non enim quaedam potentia sunt, non autem sunt quoniam indelequā actū non sunt; ubi Aristoteles absolute asserit, entia antequam actū sint, actū existant, & producantur, non esse, sed nihil esse; quod asseruit D. Thomas 3. p. q. 10. art. 3. in corpore, ubi: Dupliciter dicitur aliquid ens, vno modo simpliciter, quia scilicet est ens actū, alio modo secundum quid quia est ens in potentia. Itaque antequam res producat non est absolute, & per productionem, est facta res, quā prius erat nihil; cum autem productio causae terminatur ad rem quia talis productio est fluxus seu emanatio à causa, ratione illius intelligitur actualis egressus, extractio & emanatio effectus à causa, aut transitus à virtute, & potencialitate causae ad actualitatem extra illam; unde iam affectus intelligitur esse in se, & non in virtute causae; nam productio est effectiva, aut practica communicatio causae, aut operatiua alicuius esse actualis, quod prodeat in lucem, & quasi eruat à fine, vel virtute causae ad esse in se; unde propter illam productionem traditur à causa effectui quoddam esse actū, per quod plus intelligitur in illo conceptu formali habere quā posse produci, aut non repugnare ad existendum; seu posse existere beneficio causae: atqui pure non repugnare, existere; aut posse produci est continere in virtute productiua causae: ergo per actū produci est extra continentiam causae esse, cui potentia responderet productio ipsa tanquam fieri actuali; cum autem omni fieri actuali debeat correspondere factū esse actuale, sequitur manifeste ex parte humanitatis Christi correspondere actum essendi, non solum contentum in potentia causae, sed etiam extra causas; omnis enim res, cum primum intelligitur producta à sua causa intelligitur habere aliquod esse quod ab aeterno non habuit ratione cuius est extra nihil, ac proinde extra possibilitatē puram: ergo etiam extra potentiam causae, quia esse in pura possibilitate propria, & esse pure intra causam, & pure contineri in potentia, seu in virtute causae, sibi mutuo correspondent; unde sicut possibilitati effectus, quae est quasi potentia passiva correspondet potentia actiua causae, ita etiam contineri in pura possibilitate correspondet contineri in pura potentia causae: ergo extrahi extra possibilitatem propriam seu egredi à possibilitate propria, correspondet extrahi à potentia causae, & egredi à virtute causae ad esse actuale proprium; & ratio est evidens quia impossibile est, quod detur egressus formalis à causa in effectu intrinsece efficiens effectum quin ipse effectus denominetur & constituatur formaliter egrediens à virtute causae, sicut impossibile est, quod productio efficiat effectum, & non constituat illum intrinsece in esse producti.

81 Sed creatio, & actio Dei terminata ad humanitatem Christi Domini est vera actio ac proinde verus fluxus, & vera emanatio à virtute Dei, seu à potestate ipsius: ergo est verus egressus à virtute Dei, & ab omnipotentia illius; sed haec actio seu productio afficit intrinsece & constituit humanitatem, secundum denominationem in concreto similem illi, quam habet ipsa actio in abstracto, scilicet egressus emanationis, & fluxus à potentia, & virtute Dei: ergo humanitas Christi Domini constituitur ab ipsa formaliter egrediens, emanans, fluens, & exiens à virtute, & potentia Dei; haec enim omnia sunt synonyma: ergo humanitas Christi Domini quatenus terminat productionem, & creationem Dei est extra causam, quia impossibile est quod aliquid egrediatur à causa, quin sit extra causam; sicut impossibile est, quod humanitas Christi egressa fuerit ex vtero Virginis, quin sit extra verum illius, & impossibile est, ut fructus fluat ab arbore, quin sit extra arborem, & riuus manet à fonte, quin sit extra fontem; nam egressus, fluxus, & emanatio sunt transitus ab vno ad aliud; sed humanitas Christi Domini ratione actionis & productionis diuinae fluit, emanat, & egreditur à potentia Dei: ergo est extra potentiam Dei, extra virtutem Dei, ac tandem humanitas est extra causam sui, quia virtus & potentia Dei est causa humanitatis Christi; sed esse extra causam est existere: ergo actualitas essentiae Christi, quae terminat productionem Dei est existentia; per quam existit ipsa essentia: ergo existentia, & actualitas essentiae sunt idem omnino sine distinctione.

82 Vergetur, quia impossibile est, quod creatio terminata ad humanitatem prius natura quā vniatur Verbo impediatur, ne re ipsa suum habeat terminum, qui est existentia; quod in vniuersum in omni mutatione, vel actione, seu in omni fieri verum est, quia actio, seu fieri dicitur essentialem habitudinem ad terminum, non aptitudinalem ut sic dicam, sed actualement, id est quatenus actū fieri: ergo implicat contradictionem, quod ipsum fieri in rerum natura ponatur, & quod impediatur terminus iuxta gradum, & latitudinem talis fieri; unde si fieri est momentaneum, & simul totum, necessario habet integrum terminum; & declaratur in praesenti: nam si ordine naturae antecessit creatio animae in fieri, quidnam factum est, aut quidnam consequuta est illa anima per tale fieri? & idem est de humanitate; nam si ipsa humanitas terminat fieri; quod factum esse acquirit per illud: certe non potest acquirere aliud, nisi esse extra causas, ac proinde existere.

83 Dices, nihil in re esse consequutum, nisi quod tendebat ad existendum, nisi impeditur.

84 Sed contra manifeste, quidnam quæso est tendere ad existendum, aut quid esse potest talis tendentia, nisi ipsa existentia prout in fieri, tendere enim ad calorem nihil aliud est, quam habere calorem in fieri; & idem est in omnibus aliis tendentis; sicut ergo impossibile est esse actualement calefactionem, seu tendentiam ad calorem, quin resulter aliquis calor, ita impossibile est intelligere tendentiam ad existendum per veram creationem in fieri quin per tale fieri aliqua existentia facta intelligatur in humanitate; ergo creatio, vel productio in fieri ordine naturae antecedit in humanitate ad vniorem hypostaticam, & ad assumptionem, & illa non potuit impedi per assumptionem illam à suo intrinseco termino, necesse est, ut secundum eundem naturae ordinem in facto esse antecesserit; sed talis terminus est existentia: ergo ordine naturae antecedit existentia in humanitate Christi; sed antecedit per vos actualitas essentiae: ergo talis actualitas essentiae est ipsa existentia.

85 Vergetur ac declaratur amplius; nam Angelus bonus, vel malus virtute naturali intuitiue videt humanitatem Christi, & totam actualement entitatem eius: ergo videt intuitiue id quo illa humanitas intrinsece, & formaliter constituitur in esse talis entitatis actualis; fieri enim non potest nec intelligi, ut aliquis intuitiue videat album ut album, & non videat albedinem ipsam; sed Angelus virtute naturali non poterat intrinsece verbum, vel diuinitatem vnitam humanitati: ergo signum evidens est, humanitatem non constitui in esse actuali terminante visionem intuitiuam Angeli naturalem per vniorem hypostaticam, nec per rem increatam, sed potius per actualitatem propriam distinctā ab existentia Verbi; sed haec actualitas necessario est existentia, & per vos haec actualitas est actualitas essentiae, ergo actualitas essentiae, & actualitas existentiae sunt idem; quod autē talis actualitas sit actualitas existentiae, patet manifeste ex principiis omnium

Thomistarum, cum quibus pugnamus, asserunt enim illi visionem intuitivam necessario & essentialiter terminari ad existentiam; qui illa actualitas essentiae humanitatis Christi terminat visionem intuitivam naturalem Angeli: ergo talis actualitas est actualitas existentiae: ergo actualitas existentiae, & actualitas essentiae humanitatis Christi sunt idem realiter, & non distinguuntur.

86 Vergetur amplius ex eodem mysterio, quia humanitas Christi in ratione subsistentis constituitur per ipsam subsistentiam increatam, quam demon intueri non potest; sic ut ipse non possit illam intueri, & clare videre in ratione subsistentis: ergo si per existentiam divinam constitueretur in esse actualis entitatis, non posset illam sub hac ratione clare intueri, non visa ipsa existentia divina quod est evidenter falsum. Tunc sic; ipsa humanitas Christi videtur ab Angelo ut actualis: ergo illa actualitas, quam vocatis essentiae erit actualitas naturalis, ex eo quod attingitur à naturali cognitione, sed attingitur à naturali cognitione, quae intuitio est: ergo est obiectum illa actualitas naturalis intuitionis, sed obiectum naturalis intuitionis est existentia: ergo illa actualitas essentiae est simul actualitas existentiae.

87 Dices, Angelum illum falli in cognitione.

88 Sed contra manifeste, quia omne quod est naturale, vere sine fallacia cognoscitur ab Angelo, & quod est naturale necessarium, & non liberum, intuitu attingitur vere ab Angelo, imo in probabilissima opinione quidquid est naturale inferius Angelo, non solum intuitu videtur ab illo, sed etiam comprehensum: sed humanitas Christi Domini est entitas necessaria naturalis inferior Angelo secundum praedicata essentialia humanitatis: ergo Angelus comprehendit vere sine fallacia humanitatem illam, & minimum intuitu vere videt illam naturaliter, non viso Verbo, neque unione hypostatica: ergo humanitas secundum esse actuale, quod habet distinctum à Verbo terminat visionem intuitivam Angeli; est enim obiectum illius, omne namque obiectum terminat cognitionem cuius est obiectum: ergo si illud esse actuale humanitatis Christi distinctum ab esse Verbi, est actuale esse essentiae: ergo actuale esse essentiae intuitu ab Angelo, sed id quod videtur ab Angelo intuitu, est existentia: ergo existentia est idem à parte rei, quod esse actuale essentiae.

89 Secundo contra, quia humanitas Christi Domini pro ut terminat creationem Dei, & pro ut distinguitur à Verbo, & quatenus habet esse actuale essentiae, videtur à Deo intuitu, sed visio divina intuitiva non potest falli, etiam si falleretur visio intuitiva Angeli: ergo talis essentia actualis est obiectum verae cognitionis intuitivae ratione talis actualitatis, sed obiectum verae cognitionis intuitivae est existentia: ergo talis actualitas humanitatis Christi est vera actualitas existentiae, praecipue quia quando idem est obiectum visionis intuitivae, & verae productionis terminus non potest non esse existentia, sed essentia actualis humanitatis Christi simul est obiectum intuitionis, & terminus productus secundum actuale esse à divina omnipotentia: ergo talis essentia actualis, ut actualis erit existens, quia est extra causas, nam si ex hoc quod res intelligitur actu esse in rerum natura emanans à propria causa ex vi actionis non intelligitur actu existens, quare quid illi addat existentia postea adveniens? certe non potest illi tribuere, ut actu sit, hoc enim aperte supponitur ex vi prioris conceptus; tribuet ergo quod hoc, vel illo modo sit, at vero hoc iam non pertinet ad rationem existendi absolute, sed ad terminationem quandam, & modificationem ipsius existentiae; unde hoc potius pertinet ad rationem subsistentiae, vel inheretiae. Quod si quis

contendat hunc modum determinantem, ut ita dicā, entitatem actualem, ut sic, vel aliter sit vocari existentiam, & non illud ipsum esse quo constituitur res in esse entitatis actualis: de significatione vocis potius, quam de re contendit, & contra communem modum concipiendi non solum sapientum, sed etiam omnium hominum, utitur nominibus, quamvis enim quantitas v.g. in Sacramento Eucharistiae mutet modum existendi, nullus tamen dicit mutare ipsam existentiam, quae eadem est in quantitate siue inheret, siue à subiecto separatur, & existit per se.

Ex quibus manifeste patet, fieri nullo modo posse, 90 ut aliquid terminando actionem, seu fluxū ab agente sit ens actu, aut actualis entitas quin in suo conceptu formali & intrinseco includat existentiam, ita ut nec per abstractionem praecisivam mentis possit unum ab altero secerni, manente vero conceptu utriusque, quod manifeste patet ex universaliissimo illo principio; impossibile nimirum esse concipere effectum aliquem formaliter constitutum per aliquam formā intrinsecam, quin in illo includatur intrinsece talis forma; quapropter impossibile est, conceptu albo non concipi albedinē includam in illo; quia omnis forma, vel actus quasi formalis est deintrinseca constitutione effectus, quia concipitur ad illum intrinsece & per se ipsum, illam constituendo, praebendo ipsi propriam entitatem, & formalitatem; sed ut ex dictis patet, entitas actualis terminans actionem, seu productionem actualem, per quam producit, formaliter constituitur in esse entitatis actualis per existentiam: ergo nullo modo potest concipi entitas actualis ut sic, quin in illa intrinsece includatur existentia.

Dices, essentiam creatam intrinsece constitui in esse 91 se entitatis actualis, non per existentiam ipsam, sed per ordinem ad existendum.

Sed contra, quia hoc repugnat veræ, ac propriae 92 rationi existentiae, à nobis explicatae, & ab adversariis admittae, quia essentia secundum se, ut dicitur esse ab aeterno in potentia, & virtute suae causae, est capax existentiae ab ipso nunc aeternitatis secundum potentiam obiectivam, & possibilitatem, & per extrinsecā denominationem à potentia suae causae, quia ab aeterno unaquaque res potest à Deo produci, ut patet ex dictis in physicis, & nihilominus ab aeterno nulla creatura est entitas actualis simpliciter: ergo entitas actualis non constituitur in esse talis per potentiam, habitudinem & capacitatem ad existendum.

Dices, capacitatem, quam habet res ab aeterno ad 93 existendum, esse remotam, non autem proximam, ac proinde non constitui in esse actualis per se.

Sed contra manifeste est, ac nunc, respectu omnipotentiae divinae, nam sicut Pater aeternus in ipso nunc aeternitatis produxit Verbum divinum, ita similiter potuit ab aeterno producere omnem, & quaecumque entitatem creatam permanentem, quia causa ad hoc, ut producat effectum, non petit prioritatem durationis; sed naturā, ut videre est in sole, qui simul ac est sol, lum prioritate naturae, producit lucem: ergo Deus, qui infinite efficacior est in operando potuit producere ab aeterno quaecumque creaturam, sine indigentia alicuius dispositionis, ac per consequens sine retardatione alicuius contrarii, quia infinitum agens creatione alicuius contrarii potest retardari, quia indiget, nec ab aliquo contrario potest retardari, quia nulla est proportio pugnae, aut resistentiae finiti ad infinitū ergo omnis creatura permanens non solum est in potentia remota ad existendum ab aeterno: sed etiam in potentia proxima, & nihilominus non est ab aeterno actualis simpliciter: ergo entitas actualis non constituitur in esse talis per capacitatem ad existendum, siue proximam siue remotam. Contra

95 Contra 2. Nam vel hæc capitas proxima; quam petunt aduersarij, est obiectiva tantum, & sic non est extra latitudinem entis in potentia, nec est realitas actus, producta ac proinde non est actualis absolute; vel est capacitas subiectiva fundata in aliqua entitate actuali, iam producta, & sic necesse est, ut illa entitas, in qua fundatur, habeat aliquod esse intrinsecum nouum, & productum, quod necesse est ex vi productionis, sit esse existentia, cum ex vi productionis sit esse actuale fluens, manans, & egrediens à causis, & extra illas, ut supra probaui: ergo talis entitas non constituitur per capacitem existentia, sed intrinsece per existentiam ipsam, quia sola illa est actualitas simpliciter.

96 Imo potius si res iam habet hoc esse actualis entitatis non intelligitur quomodo sit in potentia, vel capacitate, ut vltimus terminetur per existentiam, sed recte intelligitur esse in potentia, ut terminetur per inhaerentiam, vel per subsistentiam, nam ut recte asserunt D. Augustinus. lib. 1. de Genes. ad lit. Anselmus in prolog. Damascenus. lib. 5. cap. 3. Subsistentia est modus existentia.

97 Vnde etiam obiter intelligitur, essentiam non vere neque proprie comparari ad existentiam per modum subiecti, vel potentia receptiua, quia in subiecto, vel potentia recipiente, necesse est præintelligi actualitatem, ut possit alium actum suscipere; ipsi vero existentia nulla actualitas, seu actualis entitas supponitur, sed per illam intime, & formaliter constituitur; & eadem ratione obiter colligitur, essentiam non comparari ad existentiam per modum principij effectiui, neque per propriam actionem, neque per naturalem resultantiam, quia in omni principio effectiui supponi debet aliquod actuale esse, ut ab illo possit aliquid fieri, vel manare; quod enim actualiter nihil est nullo modo potest aliquid deficere, ac vero essentia ut præintelligitur existentia non est actualis entitas, sed in potentia tantum, nihil ergo potest efficere, nisi prius per ipsam existentiam constituitur in esse actualis entitatis: ergo impossibile est, ut sit principium efficiens ipsam existentiam: tunc sic; humanitas Christi Domini propter distinguitur à Verbo, & propter dicit actualitatem essentia terminat actionem Dei, quæ fluxus est ab agente, & egressus à virtute causæ: ergo ex vi illius talis actualitas essentia egreditur ex virtute causarum: ergo est extra causas: ergo est actualitas existentia.

SUBSECTIO. V.
Solutioes Adversariorum refutantur.

98 Respondent aliqui essentiam rei actualem neque actu produci, neque actu extrahi à potentialitate causarum, ac proinde actualem essentiam propter distinguitur ab existentia esse improductam, increatam, & independentem; ac per consequens non esse in tempore actualem essentiam, sed ab æterno; dum autem opponitur: ergo essentia illa non est creatura, sed Deus; respondent, essentiam actualem esse creaturam, non quia ipsa essentia creetur, sed quia creatur existentia ipsius; ponunt exemplum in Deo, qui dicitur Deus, & non creatura, quia habet existentiam increatam; vnde si per impossibile Deus haberet existentiam creatam, non esset Deus sed creatura.

99 Sed contra manifeste; nam hæc solutio plura continet intolerabilia; nam ex illa manifeste sequitur, humanitatem Christi Domini esse Deum, & minimum actu non esse creaturam; primum sic patet, quia humanitas Christi actu habet existentiam increatam, quia existit existentia Verbi: ergo si id, quod habet existentiam increatam & divinam est

I. P. Tom. II.

Deus, sine dubio humanitas Christi Domini non erit creatura, sed Deus; secundum sic patet: quia humanitas Christi non est creata, neque secundum actualem essentiam, neque secundum actualem existentiam: ergo de facto humanitas Christi Domini non est creatura, neque natura creata, sed hoc est hæreticum, cuius oppositum definitum est in Concilio Ephesino 1. & Calcedonensi. præsertim actione 5. in 2. fidei definitione, & in 6. Synodo generali actione 11. & 13. & in Synodo 5. præsertim actione 1. & collat. 8. can. 3. & Lateranensi sub Martino 1. consultat. 5. à Canon. 4. & que ad. 9. & in Lateranensi sub Innocentio 1. quod habetur in capite Firmiter de Summa Trinitate, & fide catholica, & in Florent. in literis unionis, & in Toletano. 45. & 11. & in Hispanensi. 11. cap. 13. vbi plura Scripturæ testimonia congruuntur & optime ex Leone Papa epist. 10. ad Flavianum, & recipitur tamquam dogma fidei in edicto Iustiniani Imperatoris; in quibus omnibus Concilijs anathematizatur hæresis asserens in Christo Domino, dari solum vnā naturam, & hanc increatam, ac proinde definitur in Christo Domino post incarnationem duas permansisse naturas integras, & inconfusas, divinam videlicet, & humanam, increatam, & creatam, ratione cuius dicitur Christus in Symbolo Athanasij æqualis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem, quia secundum humanitatem est creatura: propter quod dicebat ipse Pater maior me est; & in cruce loquens cum Patre dicebat, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti. Vbi fateatur Patrem esse Deum sui, quod non potest intelligi, nisi Christus sit creatura secundum aliquid sui, quia Deus est talis respectu creaturæ, sed non est creatura secundum divinitatem: ergo est creatura secundum humanitatem, ratione cuius dicebat Paulus 1. ad Corinth. 3. omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus vero Dei; nam Christus Dei esse dicitur; quia Deus in suum honorem ipsum fecit Christum, & humanitatem eius vtpote creaturam creauit, ut Paulus ait ad Hebræos. 3. & Petrus. 1. canonica cap. 3. quibus alludit illud illud Christi Ioann. 2. Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; supra quæ ait Rupertus. lib. 14. in Ioan. Deus meus est, inquit, quia creaturam eius, id est humanitatem assumpsit; Deus autem illorum est, quia non aliud, quam homines sunt, & Cyrillus. lib. 12. in Ioan. cap. 51. vbi eadem verba tractans inter alia inquit; quamvis Dei secundum naturam sit filius, Deum tamen suum nuncupavit, ut quemadmodum nos ad supernatorem dignitatem per ipsam ascendimus; sic & ipse quoniam homo factus est, Deum nostrum in Deum suum habet; quia secundum humanitatem creatura est: ergo secundum fidem catholicam humanitas Christi Domini est creata à Deo, quia creatura Dei, & nihilominus habet existentiam divinam: ergo falsum est dicere quod res dicatur creatura, vel Deus propter existentiam creatam, vel divinam, quia divina existentia non mutat essentia creaturæ, sed potius relinquit humanitatem in esse essentia creatæ: ergo essentialiter est creatura ab actuali essentia, quando actualis essentia producit, & creatur à Deo. Vnde è contra si essentia ipsa actualis sit improducta, increata, & imparticipata, & independent, erit sine dubio Deus essentialiter, neque ab hac denominatione essentiali potest extrahi per solam existentia distinctam à tali essentia.

Exemplis demonstratur hoc: nam in sententia Thomistarum existentia, quæ habet Petrus, & haberet humanitas Christi, si non assumeretur à Verbo, esset accidens, vel modus & ratione talis accidens, vel modi non denominatur Petrus accidens, aut modus, sed potius essentialiter, & absolute denominatur substantia